

Andreas Sennert Johann Oelreich

[...] s. De Urim & Tummim Dissertatio Philologica Prior

Wittebergae: Henckelius, 1677


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788774107>

Druck Freier  Zugang





Fa - 1092 (114)



1. Buxtorf, Joh., exercitationes ad historiam:
1. Arcae foederis; 2, ignis sacri et coelestis; 3, Urim
et Thummim. 4. Mannae. 5, Petrae in deserto; 6, Ser-
pentis aenei. Basil. 1659.

vid. hic dissertationes
Siermay de Urim & Tummim

בש הקב"ה :

אורים ותומים

f.
De

Urim & Tummim

DISSERTATIO PHILOLOGICA
PRIOR,

Quam

SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI & EXCELLENTISSIMI

DN. ANDREÆ SENNERTI,

Lingv. Oriental. Profesforis Publ. celeberrimi,
& Academia SENIORIS
venerandi,

In INCLYTA LEUCOREA

Publicæ συμφοιλογούντων ἐξετάσει
submittit

M. JOHANNES Delreich / Scanus,

In Auditorio Majori.

Ad Diem VI. Octobr. M. DC. LXXVII.

WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



בעת

Sicut profectò dixit, quicumque fuit, χαλεπὰ τὰ καλὰ. *Difficilia, quæ pulchra.* Quippe ea rerum optimarum indoles, ut, quicquid habeant eximii, minus in conspicuo esse patiantur. Quicquid sit, multa tamen, solò, ut ita loquamur, nomine lenocinantur, & occultâ quâdam naturæ vi ad ea inquirenda propellimur: Scilicet inquietos nos agit Venustatis Amor, nec quicquam rectius nostro mederi desiderio, quàm rerum pulchritudo potest; imò non acquiescimus ante, quàm in solidam, si modò fieri possit, earundem cognitionem pervenerimus, ἡ γὰρ λαμβάνει τι κρείττον ἐδέν, *inquit Nazianzenus.* De profanis non est, quod dicamus; quis, quæso, nescit, innumera in sacris reperiri Venustatis exempla, eadem verò nostri respectu in altissimis mysteriorum latebris recondi, nemo est, qui ignoret; scilicet nomina scimus, rerum verò ipsarum confusam, ne dicam accuratam, habere cognitionem, tam est difficile, quàm quod difficillimum. Aharonem maximum Gentis Judaicæ sacerdotem summi illius & verè maximi, melioris utpote testamenti Mediatoris & Pontificis, Jesu Christi Typum illum clarissimum contemplantini. Quanta, quæso, Personæ Majestas; quanta officii dignitas! quantus in vestitu decor, quantus in ornatu nitor! Verum: quot ibi mysteria? quot abstrusa? quot occulta? quot indagatu difficilia? Omnia excutere tenuitatis nostræ memores nec volumus nec possumus. Unicum saltem Aharonitici pectoralis Insigne verè insigne לפי ענוות דתנו *ut loquuntur Hebræi,* considerare statuimus. Certè profectò, si quod res est, nobis hac de re dicendum, idem fateamur necesse est,

A 2 quod

quod de sectione Num. XIX. 2. in libro Jalkut, fol. 187. col. 1. his
 consignatum verbis legimus: כל זה נסיתי בחכמה לִי וְהִנְחֵיתִי חֲכָמָה בְּעוֹלָם שְׁלֵא אִמְרָתִי עֲלֶיהָ וְכוּן שֶׁהִגַּעְתִּי
 לְפָרְשָׁת פָּרָה אֲדוּמָה אִמְרָתִי אֲחֲכָמָה וְהִיא רַחֲוִקָה
 : מִמֶּנִּי. *Omne hoc tentavi in sapientia, & nihil in mundo reli-*
quum feci de sapientia, quod non dixerim, at postquam perveni ad
sectionem, de vacca rufa (Num. XIX. 2.) dixi, nunc acquiram sa-
pientiam, & illa longius à me recessit. Imò ipse etiam Buxtorfius
 tantæ eruditionis Vir in Exercit. Exercit. 3. c. 1. p. 269. rotundè fa-
 tetur, se ob ingenii sui tenuitatem & rei difficultatem nihil solidi
 ac certi posse polliceri. Grave igitur, & nostris planè impar hu-
 meris negotium suscipimus, cum juxta dictum Thalmudistarum
 in Massechet Joma, fol. 19. column. 1. מִגִּמְרֵי בְּעִתְקָתָא קִשָּׁה
 מִחֲרָתָא. *Discere antiquum difficilius sit, quàm novum.* Sacra
 itaque antiquitatis amore ducti negotium istud aggredimur, pi-
 ctorum filios imitati, qui, cum aliquid vivis exprimeret coloribus
 nequeant, ductis lineis, & tenui id ipsum penicillò adumbrant,
 nos, sicubi erraverimus, solati istò Regum sapientissimi, 1. Reg. II. 9.
 v. 46. אִין אָדָם אֲשֶׁר לֹא יִחַטָּא. *Non est homo, qui non peccet:*
 scilicet errare humanum! Sic igitur οὐδὲ θεῶν

CAP. I.

UNde incipiendum. Scaligeri, Platonis, &
 Theodoretii sententia, Spenceri opinio contraria. Nomina
 hic explicata. Qvæ. Urim & Tummim Originatio. Qvare sic di-
 cantur. Castellus, Buxtorfius, Schindlerus aliq. citati. Bellarmini de-
 rivatio monstrosa impugnatur. Urim & Tummim sunt pluralis Nu-
 meri. Cur. Cornelii à Lap. & Hachspanii opinio. Habent prefixum He
 Emphaticam. Modò conjunctim, modò se junctim sumuntur. Bethai
 citatur. Versionibus quid tribuendum. Onkelos non vertit. Cur Non.
 Septuaginta & alii quomodo verterunt. Latini quomodo vertant.
 Ariamontani & Tremellii sententia. וְשָׁן unde derivetur. Forsteri
 derivatio. Græcorum versio. Dicitur λογίων. Cur. Josephus quomo-
 do vertit. Drusii sententia. Dicitur Rationale. Gentiles Christiano-
 rum

rum ritus imitantur. Spencerus notatus. Fabricius laudatus. **יִשְׁרָאֵל**
עֲבֹדָתָהּ Quid: Vestes Sacerdotales quot & quales. Descriptio &
confectio **תְּשֻׁבָה**. **תְּשֻׁבָה** Ephod Originatio & Homonymia, & quid
fuerit.

I.

AB ovo, quod ajunt, ut ordiamur, præmittenda omninò **ὀνομα-**
στοκεψία s. nominum evolutio, quippe à nominibus inci-
piendum docet subtilitatum Magister Scaliger Exercitat. I. sect. I.
juxta illud Platonis in Gorgia: **ὅς τὰ ὀνόματα ὄιδε, ὀισται καὶ**
τὰ πράγματα: *Qui novit nomina, novit etiam res.* His gemella
habet, cit. Clar. Hotting. Exercit. AntiMorin. th 3. p. 2. Theodo-
retus. **καὶ ἵνα Μάλαξις διπολύτως προβαίη καὶ μηδὲν ἀμφιβαλ-**
λομένων μεταξὺ ζητήσεων Μακόπη τὸν λόγον, δεῖ εὐκρίνεις γί-
νεσθαι τῶν ὀνομάτων τὰς σημασίας, h. e. ut discursus sine impedi-
mento procedat, & nulla ambiguitas explicationi interjecta sermo-
nem retardet, oportet nominum significationes planas fieri. Atque
hæc sententia contraria omninò, & è diametro opposita est sen-
tentia Joh. Spenceri, quippe qui prius de re, quàm de nomine
agendum censeret, cum minus negotii facefferat natura rerum, quàm
origo nominum, inq; nominis scientiam per rei cognitionem fe-
licius dirigamur. vid. cap. 5. sect. 5. pag. 257. sed hanc sententiam,
tanquam absurdam & veritati minùs congruam recitando refu-
tavit Clar. Carpzovius in Notis ad Schic: Jus Regium p. 32.

II.

Quatuor igitur hîc consideranda nobis veniunt nomina, tum
ipsius Insignis Aharonitici, tum rerum, quibus istud insertum fuit:
Nos de omnibus ita agemus, ut primò de Etymologiâ, adjunctâ,
si quæ fuerit, homonymiâ, & deinde de quamplurimis Versioni-
bus, aliisq; quæ huc pertinere possint, pro instituti nostri ratio-
ne paucis disseramus.

III.

Quod itaque attinet voces **יְשׁוּבָה** & **יִשְׁרָאֵל**, (nam has
duas, cum in scriptura conjunctæ reperiantur, hîc etiam conjun-
gere,

gere, non adeò improbable erit.) sunt voces origine Hebraeae & quidem pluralis numeri, הַ הַjedia f. demonstrativò affecta: & derivatur altera quidem à radice אור h. e. lucere, altera à radice תָּמַם h. e. perfectum esse. Rationem hujus derivationis haud certè incongruam reddunt ipsi Thalmudistæ in Mafs. Joma. c. 7. fol. 33. 2.

למה נקרא שמן אורים ותומים אורים שמאורין
ארת רבריהן / תומים שמשלומין ארת רבריהן :

Quare vocatur nomen illorum Urim & Tummim: Urim, quia illuminabant verba ipsorum. Tummim, quia perficiebant verba illorum. Vid. Clar. Buxtorf. Pater in Lexic. Hebr. p. 13. & Filius in Exercit. Philolog. III. p. 277. qui etiam aliud testimonium ex Thalmude Hierosolymit. & Thargum Jonath: affert, cujus posterioris verba, utpote priora paulò latius explicantia, nos *Φιλαναπολι-
κογλωσσας ενεκα* huc transcribere operæ pretium ducimus, quæ ita habent: ותתן בחשן דינא ית אוריא דמנהרון : מליהון ומפרסמין שמרון דבית ירשאל וית תומינ : דמשלומין בעובדיהון לכהונא רבא דתבע אולפנא :

Et Indes pectorali Urim, quæ illuminant verba illorum & revelant occulta domus Israël, & Tummim, quæ perficiunt operibus suis sacerdotem magnum, qui querit doctrinam à Domino per ea. Relinquitur ergò *אֲדָאֵ Urim & Tummim* à luce & perfectione ita dici, qualis verò illa fuerit, non liquet: vid. Buxtorf. loc. cit.

IV.

Atque has harum vocum radices esse, constans Philologorum & Lexicographorum est sententia. vid. Pagnin. in Lexic. in radic. אור & תָּמַם. Schindlerus in Lexic. Pentaglott. col. 42. Buxtorf. Lexic. Hebr. pag. 13. & 64. & in Lexic. Chaldaic. Thalmud. Rabb. num. 45. Castellus in Lexic. Heptaglott. n. 65. Ravanell. Biblioth. S. Tom. 2. p. 1522. Martinius in Lexic. Etymolog. in voce Urim. Sixtin. Amama in Antibarb. Bibl. lib. 2. p. 566. & in Censur.

fur. Vulg. Verf. pag. 123. Delrio Disqvifit. Magic. lib. 4. c. 1. qv. 2. feét 2. Momma de Oeconom. Eccl. c. 9. pag. 367. aliiqve qvamplurimi, adeò ut haud immeritò ad omnia Lexica Ebræorum, Chriftianorum, Proteftantium & Pontificiorum provocet Amama l. c.

V.

Magnus autem ille Pontificiorum Promachus Cardinalis Bellarminus autoritatem Vulgatæ Verſionis, & infallibilitatem Romani Pontificis aſſerturus novam his vocibus originem affingere non erubuit: Verba illius ex lib. 4. de P. R. cit. B. Meifner. Phil. Sobr. part. 2. c. 3. qv. 3. feét. 1. hæc ſunt: *Nec obſtat, quod Judæi & judaizantes dicant, ׀׀׀׀ non ſignificare doctrinam, ſed ſplendorem à radice ׀׀׀׀, & ׀׀׀׀ non ſignificare veritatem, ſed perfectionem à radice ׀׀׀׀, nam magis credendum eſt Hieronymo, qui vertit doctrinam & veritatem, & LXX, qui verterunt δὴλωσαν καὶ ἀλήθειαν, quam omnibus Rabbiniſ, & hinc dicendum eſt: ׀׀׀׀ deduci à ׀׀׀׀, quod eſt docuit, & ׀׀׀׀ à Rad. ׀׀׀׀, quod eſt credidit. Egregia certe & digna tanto viro ſententia! ſed quid mirum? cum autoritatem Pontificis propugnaturi, nescio quid non aſſerere ſoleant Papicolæ: ſcilicet, quot hic verba, tot ferè Φοβητὰ ἀνδραγαθία, ea autem ad examinis incudem revocare noluimus omnia, aliis eadem relinquentes. Egregiam huic rei navârunt operam B. Meifn. loc. cit. & Chamier Panſtrat. Cath. T. 1. l. 3. c. 3. § 5. Ea autem, quæ ſcopo noſtro inſerviunt, in compendium ita redegit Epitomator Bellarmini. F. I. Baptiſta De Seois Tom. 1. p. 215. *Juſſit. inquit, Dominus poni in rationale Pontificis ׀׀׀׀ & ׀׀׀׀ Urim & Tummim, (quicquid dicant Rabbini (δὴλωσαν καὶ ἀλήθειαν, juxta ſeptuaginta, Doctrinam & veritatem juxta Hieronymum, nempe, (ut in margine ſcriptum) à ׀׀׀׀ Jarab docuit, & ׀׀׀׀ Aman credidit. Verùm monſtroſa admodum & abſurda hæc eſt derivatio, & (ut verbis utar Clar. Dilherri. lib. 1. Elect. p. 36.) omnia Grammaticorum tribunalia perfringit, ipſiq; analogiæ Grammaticæ repugnat,**

gnat, quippe nunquam ita mutari, nedum abjici solent literæ
radicales, quin aliquod earundem signum aut indicium relin-
quatur, nam ex quiescentibus Pe Jod s. primâ radicali derivata
vel Jod nudum abjiciunt, vel à fronte tegendum in Vau Cho-
lem mutant: vid. Schich. Horol. Hebr. p. m. 30. & à quiescen-
tibus Pe Aleph orta, regularia plerumque sunt, nec primam
radicalem amittere solent. Quod ipsum agnovit Clar. Hach-
span. in Not. Phil. part. i. p. 82. qui, *he*, inquit, *derivationes fal-*
se sunt & ridicula, si enim אורר ab הורה docuit, unde א
in illud irrepit, & si תומים ab אמר, cur Aleph abjectum, Mem
verò dageffatum. Egregia certè est similitudo, quam affert:
in Censur. Vulg. Vers. loc. cit. Amama. Balbus, inquit, apud
Ciceronem lib. 2. de Nat. Deor. Neptunum à nando derivabat, uni-
câ literâ retentâ, at hòc in persona Cotta falsè ridet Cicero, aitq;
Balbum sibi in ea originatione magis visum natâsse, quàm Neptu-
num; Nam stante Bellarmini sententiâ poss abjectas literas ser-
viles unica tantùm in qualibet voce litera remanet, quod in hac
lingva, (nullò scil. signò remanente) prorsus insolens & inusit-
tatum. Argumenta illius quod attinet, fatemur quidem Se-
ptuaginta in his, ut in aliis, sensum potiùs, quàm verba vertisse,
inde tamen certi quid statuere velle absurdum est, nam de vo-
cibus Hebræis, non ex versionibus, sed ex fonte ipso dijudican-
dum, & Hieronymus, licèt Ebrææ lingvæ peritissimus, in mul-
tis tamen se verborum ambiguitate deceptum & in transferen-
do hallucinatum fuisse, ipse in Commentario ad cap. XIX. Esaïæ
fateretur; ejus igitur versioni omnimodam fidem habendam esse,
stultus est, qui dixerit. vid. Sixtin. Amama l. c. atq; hinc
etiam ipse Bellarminus à sociennis suis deseritur, quippe qui
lingvæ hujus illò peritiores communem amplecti sententiam,
non dubitârunt: Unus pro omnibus erit Arias Montanus, is in
libro suo de Aharone Insigne illud ex usu & natura sua *Urim*
& *Tummim* dici, & ex verbo per inflammationes & perfectio-
nes reddi posse asserit: Conf. Cornel. à Lapid. in Exod. p. 548.
& Delrio Loc. cit.

VI. Di-

VI.

Diximus paragr. III. Nomina hæc esse pluralis numeri, atque hoc ipsum liquet ex terminatione ־ים , quam pluralis Numeri esse largiuntur omnes, quotquot Grammaticorum se profiteri filios volunt, quanquam negari non potest, multa reperiri nomina, quæ terminationem quidem pluralem, sed significationem singularem habent. Causa autem, cur ita adhibita sunt, variæ afferuntur. Nonnulli secuti Cornelium à Lapide loc. cit. dicunt, hic esse Enallagen Numeri pluralis pro singulari, quam certè in scriptura usitatissimam esse ad denotandam rei excellentiam & magnitudinem testatur B. Glasius Philol. S. lib. 3. tract. 1. can. 24. pag. 88. & ex illo Hervart. in Scrutin. Philol. pag. 14. Nec forsan aliena Hachspanii opinio, qui loc. cit. pluralem numerum ad exhibendam perfectionem adhibitum fuisse asserit. Nos gemmas illas duplo pectoralis insertas, quas אֶבְנֵי הַחֹדֶם Urim & Tummim fuisse inferius probabimus, duodecim adeoque numero plures fuisse dicimus, ideoque ad denotandam hanc pluralitatem Numerum pluralem, quippe qui vi vocis plura importat, adhibitum fuisse contendimus.

VII.

Diximus præterea esse אֵלֹהִים demonstrativò affectas: Non autem possumus illis assentiri, qui cum R. Bechai, Nachmanide, aliisque faciunt, & ideo אֵלֹהִים illud adhibitum dicunt, ut denotetur אֵלֹהִים אֶחָד esse, nam hanc sententiam veritati minus congruam esse, inferius probabitur: sed nos asserimus, אֵלֹהִים illud adhiberi $\text{לְהַדְרִיק אֶת הַשֵּׁנִי}$ ad confortationem sensus, ut loquuntur Hebraei, h. e. ob singularem Emphasin, ut non simpliciter, sed cum additâ notatione, adhibeantur, ut digito quasi monstratur, dicendo istas illuminationes, istas perfectiones. Ita Arias Montanus. Conf. Cornel. à Lapide L. c. nam hoc proprium illius officium esse, vel ex solo capite septimo Ela. vers. 14. liquet: vid. Deuteron. 3. 25. Quanquam

B non

non negemus, η illud ἀνευ ἐμφάσεως plurimis in locis adhi-
beri : vid. Glasius Philof. S. lib. 4. tract. I. pag. 642. Hervart.
in scrut. Philolog. pag. 146.

IIX.

Diximus deniq̄ue has voces haud incommodè conjungi
posse ; notandum verò, eas non solùm conjungi, sed etiam
synechdochicè *Urim* poni solùm, v. g. Numer. XXVII. 21. &
I. Sam. XXVIII. 6. Causam hujus reddit R. Bechai apud Bux-
torf. Exercit. cit. pag. 277. his verbis : לא הזכיר התומים
זה יורה כי האורים עיקר השמות שמכחם היו
פאורות האותיות לעיני הכהן לדעת העתידות
והתומים לא היו אלא לזווג האותיות זו עם זו
להתמים אותם בחבור התיבות עד שיהיה לב
הכהן המים כדריעתן ועל כן הזכיר מה שהווי
עיקר ושתק מן התומים אבל לעולם לא היו
אורים בלתי התומים כי שנהם דבר אחר ושנהם

: שלימות הענין h. e. *Non nominat hic Tummim, quia
Urim fuerunt nomina Principalia, quorum virtute litera lucem
emittebant in oculos sacerdotum. Tummim, non aliò inservie-
bant, nisi ad combinendas inter se literas, quæ lucebant, ad per-
fectas inde eliciendas voces ut sacerdos in animo suo de illis certus
esset; idè mentionem facit tantùm principalis, & retinet minus
principale. Nunquam tamen erant Urim sine Tummim, utraq̄
enim rem eandem & unam consiciebant & perficiebant. Haste-
nus Bechai, qui rectè quidem statuit, tã Urim & Tummim esse
causas socias, s. ad unam eandemq̄ue rem simul concurrere,
sed an Principale Urim fuerit, Tummim verò minus princi-
pale, de hoc meritò dubitamus, praesertim, cum, (quòd
etiam*

etiam notandum) in sacris literis modò *תּוֹלְדוֹת*, modò *תּוֹלְדוֹת* præponantur, hinc enim æqualitas illorum vel maximè patet. Satis de his nominibus ipsi.

IX.

Versiones quod attinet, de earum præstantia & utilitate disferere nostri non est instituti. Illas certè non negligendas esse censemus cum Magno Heinsio, cujus verba in Prolegom. Aristarchi S. p. m. 665. contra contemptores illarum hæc sunt: *Quid Thargumista verè eruditissimi, quid Septuaginta, quos Apostoli non semel exprimunt, quid Symmachus, quid Aquila, quid Theodotion, quid alii ad veram verbi DEI explicationem conferant, non magis forsitan satagitis, quàm utrum Empedocles an stertinium deliret acumen*: Omnes autem à nobis ut hinc afferantur versiones, non est, quod à nobis quis exspectet, præstantiores adduxisse sufficiat.

X.

Primas itaque Orientalibus tribuimus, & Syrus, Arabs & Samaritanus nomina ista rectè verterunt per voces, eandem, quam Ebrææ, significationem habentes, nam, ut loquitur Aben Esra: *שפה אחר דברים אחרים*, *labium unum & verba diversa*, h. e. ut explicat Celeberr. Pochockius in Not. Miscell. ad Port. Mos. p. 5. Unius lingvæ Dialecti variæ, quarum Hebræa Mater, reliquæ autem filiaë Matræ non absimiles. Vid. Hotting. in Smegmat. Orient. Paraphrastes verò Chaldaeus Onkelos voces Ebræas retinuit, terminatione saltem Ebraicâ *וי* in Chaldaicam *וי* mutatâ. Atque hoc ipsum nonnulli factum putant ex odio in Christianos, quod quidem longè maximum esse vel ex hoc Thalmudistarum liquet, in Massechet Sanhedrim: c. 7. fol. 59. r.

אומר רבי יוחנן גוי שעושק בתורה חייב מיתה
 שנ' הורה צוה לנו משה מורשה לנו מורשה
 : ולא להם h. e. ut vertit Clar. Cocceus in Excerpt.
 ad Gemar. Sanhedrin. pag. 274. *Dixit Rabbi Jochanan, Gen-
 tili, si operam det legi, reus mortis, quia dicitur, Legem tu-
 lit nobis Moses hereditatem; Nostra scilicet hereditas est, non
 illorum.* vid. hac de re plura apud Hachspan. ad librum
 Nizzachon, p. 278. Gerson in Thalmud. pag. 67. & Pfeiffer.
 in Not. Philol. ad libr. סור מרע: Nos autem illum ideò
 illud fecisse non credimus, cum titulò istò, (Christianorum
 scilicet) ut ait Schichardus in Bechinat Happerusch. pag. 24.
 longè fuerit antiquior; sed potiùs asserimus illum ex igno-
 rantia fecisse: quandoquidem enim sub templo secundo vi-
 xit, à quo ex mente Hebræorum, ut Disputat. seqvente au-
 dietur, abfuere τὰ Urim & Tummim, veram harum vocum
 vim & significationem ignoravit; noluit itaqve Paraphrasin
 suam malâ & incongruâ harum vocum translatione defæda-
 re, ratus forsan melius esse tacere, quàm malè loqui.

XI.

Græcas versiones quod concernit, nec illæ conveniunt:
 Optima, & quæ ad veritatem Ebraicam quàm proximè ac-
 cedit, est Aquilæ, qui vertit Φωτισμός καὶ τελειώσεις, h. e.
illuminationes & perfectiones. Longius verò ab eadem re-
 cedit LXX viralis, quæ per δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, h. e. *decla-
 rationem & veritatem* transtulit. Atque hæc versio, quæ vo-
 ces quidem planè incongrua, quæ sensum verò non adeò est
 incommoda, ideoquæ, ut rectè monet Buxtorf. in Exercit.
 cit., non simpliciter rejicienda, aut exagitanda, nam si rem
 ipsam spectemus, ea omninò ex ordinatione divina virtu-
 tem δειλώσεως & docendæ ἀληθείας habuit, atque ex pecto-
 rali, cui inserta erant Urim & Tummim, omnis divinæ veri-
 tatis cognitio, & voluntatis Dei populo communicata fuit,

ut loquitur Clariss. Heinsius in Exercit. ad N. T. p. 587. Ex eo autem, quod tum Aquila, tum LXX. vocem Theraphim, iisdem quibus Urim & Tummim, vocibus transtulere, ortum suspicor, quod nonnulli *Urim & Tummim* Theraphim fuisse arbitrentur: vid Clariss. Seldenus de Diis Syris Syntagm. i. p. m. 102.

XII.

Ex Latinis Vulgatus & Hieronymus (nam has duas diversas esse versiones notissimum) Septuaginta secuti, *Doctrinam & veritatem* verterunt, de quibus cum idem sit, ac de Septuaginta iudicium, nolumus idem hic repetere, ne actum agamus. Paucis: sensum potius, quam verba respexerunt, & ineptum esse inde desumptum Bellarmini argumentum supra par. 5. demonstravimus. Arias Montanus verò, nec non Tremellius ac Junius, lingvæ Hebrææ peritissimi, cur non verterint, causam video nullam, nisi quod ille ideo fecerit, ne æmulis suis Vulgatae versionis Patronis ansam calumniandi relinqueret, à quo tamen se non fuisse immunem ipse conqueritur in præfat. Bibl. Interlin. & (cit. Riveto in Isagog. pag. 147.) in peculiari Opere de Liter. Hebraic. Scriptione. Hos verò non aliam habuisse causam arbitror, quam quod, ut ipsi in Not. Marginal. ad Exod. XXXIX. 30. fatentur, quæ & qualia fuerint, non constet. Satis de his vocibus. Pergimus ad alias.

XIII.

Tertia vox est שׁוֹר seu *pectorale*, vel, ut alii, *Rationale*; Quanam autem vera & genuina ejus sit origo, non adeò facile est expiscari: Ipse Kimchius, & qui eum sequuntur, Lexicographorum quamplurimi, Pagninus utpote, Avenarius, Schindlerus, Buxtorffius, Castellus, aliiq; nullam hujus vocis radicem ponunt. Forsterus vel ex odio in Judæos, quò ipsum flagrasse, testis est Clariss. Schichard. in Bechinat. Happerusch: pag. 108. vel quod forsitan verius, usitatam nominum formationem spectando, Nun illud servile facit, & à radice שׁוֹר , h. e. *fluit*, derivari asserit, idè quia tacita Dei voluntas in eo comprehen-

deretur. vid. Mercer. ad Lex: Pagnin. Aliis placet hanc vocem à $\Psi\Omega\text{J}$, quod *augurari* vel *divinare* significat, deductam esse, sed cum longius petita sit ista derivatio, eam non ita magni momenti judicamus.

XIV.

Versiones quod concernit, à variis variè vertitur. Ex Graecis Svidas per $\lambda\omicron\gamma\epsilon\acute{\iota}\omicron\nu$ vertit, quod ita describit: $\lambda\omicron\gamma\epsilon\acute{\iota}\omicron\nu$ τὸ μαντεῖων, ὅπερ ἐφύρει ὁ ἱερεὺς, ἐν ᾧ ἦσαν ἐγκεικολλημένοι οἱ ἱερεῖς: hoc est: *Oraculum, quod gestabat Sacerdos, in quo insculpti erant duodecim Lapidēs.* Septuaginta modò $\lambda\omicron\gamma\epsilon\acute{\iota}\omicron\nu$, modò, (quod rectius) $\lambda\omicron\gamma\iota\omicron\nu$: $\lambda\omicron\gamma\iota\omicron\nu$ verò non incommode dici posse patet ex definitione τῶν $\lambda\omicron\gamma\iota\omicron\nu$, quam habet Svidas. L. c. $\lambda\omicron\gamma\iota\omicron\nu$, inquit, τὰ $\Theta\epsilon\acute{\iota}\alpha$ τῶν $\Theta\epsilon\acute{\omega}\nu$ λεγόμενα. *Oracula sunt divina responsa.* Hinc etiam Judæis dicuntur concredita τὰ $\lambda\omicron\gamma\iota\omicron\nu$ τῶν $\Theta\epsilon\acute{\omega}\nu$, Dei eloquia vel responsa: hoc est, sanctissima illa sacrorum literarum oracula. Josephus voce Ebræa retentâ quidem, sed paululum immutatâ, Essen appellat. Ἔσσην μὲν καλεῖται, σημαίνει δὲ κατὰ τὴν ἐλληνικὴν γλῶσσαν $\lambda\omicron\gamma\iota\omicron\nu$. *Essen vocatur, significat autem Græcorum linguâ Rationale* Lib. 3. Antiquit. Jud. cap. 8. p. m. 85, Phil. Libr. 3. de Vit. Mos. etiam $\lambda\omicron\gamma\iota\omicron\nu$ appellat Drusius verò: Ad Loc. difficil. Exod. cap. 50. $\Theta\epsilon\acute{\iota}\sigma\tau\acute{\iota}\theta\iota\omicron\nu$ dici mavult, & mendum in loco citato Josephi esse arbitratul.

XV.

Ex latinis Vulgatus & Hieronymus itidem Septuaginta secuti, vertunt *Rationale*, quod ipsum cur fecerint, rationes dantur variæ. Meisnerus Phil. Sobr. part. 2. sect. 9. quæst. 3. *Rationale*, inquit, *dicitur est, quod, cum per illud ederentur divina responsa, non visa fuerit res quædam irrationalis, sed ratione & intelligentia pollens.* Petrus Cunæus Libr. 2. de Republ. Hebr. cap. 1. pag. m. 123. Choschen seu *rationale*, ait, *dicebatur, propterea quod cordis rationisq. sedem cingeret.* Tremellius verò & Junius, quibus assentitur Drusius loc. cit., pectorale trans-

transtulerunt. Alii rationale dictum putant, quod inde rationes seu consilia certa & perfecta redderentur: Rationem enim & consilium temeritati & casui contraria esse, testis est Cicero lib. 2. de Divinit. cap. X. & alibi, Ex Germanicis Piscator reddit ein Brust-Zuch/ respiciens fortasse ad illos, qui pectorale vertunt, Lutherus vertit ein Schildlein/ idque forsan ab externa forma, quâ, ut multis placet, clypeum seu scutum referebat. Atque hinc non ineptè suspicantur nonnulli originem traxisse gentilium morem, qui Sacerdotes suos, quos Marti consecratos, Salios dixere, æneo quodam pectoris tegumento gaudere cælestiaq; habere arma iusserunt, quæ Ancilia dicta cælorum delapsa fingebat maximus superstitionis Autor Numa Pompilius, ut refert Livius Decad. 1. Libr. 1. pag. m. 64. & ex eo Dionys. Halicarnass. Lib. 2. Scilicet hoc certum, imò certissimum, Gentiles multa, tam quâ sacra, tam quâ profana, ex Judæis hausisse eademque minus bene intellecta in superstitionem traxisse: Pulchrè Taubmannus in præfat. ad Cirin Virgilii: *in sacris, inquit, literis paucas historias esse arbitror, miraculis præsertim aut mysteriis insignes, quas Diabolus, cujus sunt partes intervertendi veritatem, non emulante, ut Tertullianus loquitur, affectarit exprimere.* Sic Sacerdotes Ægyptiorum auream imaginem, cui nomen ἀλήθεια seu veritas, collo gestasse, testis est Ælianus lib. 14. Var. Histor. cap. 14. & Diodor. Sicul. Lib. 2. Rer. Ægyptiac. Vid. hac de re. Scaliger libt. 7. de Emendat. Tempor. p. m. 654. Grotius in Not. ad Exod. 28. 30. Dn. D. Calovius in Bibl. Illustr. ad Eund. loc. Qvistorp. ad Eund. loc. Dilherr. in Elect. Libr. 1. pag. 36. Martinus in Lex. Etymol. in voce Urim. Spencerus in tract. de Urim & Tummim, aliiq; Caterum de gentilium imitandis Ebræotum ritibus *κακοζηλία* quædam habet M. Kipping. Antiquit. Rom. libr. 1. cap. 10. & 12. & multò plura B. Fabricius in prolixa illa & verè erudita sub præsidio Clariss. Dilherri Jenæ olim habita Disputatione, cui nomen *SIMIA DEI DIABOLUS*, quod effatum à Clar. Schich. in Jure Regio: pag. m. 26. adhibitum immeritò suggillat Spencerus loc. cit., dignus, qui ideo notetur à Clariss. Carpozoyio ad loc. cit. Schichard.

XVI.

Hoc autem, quod diximus pectorale, non saltem dicitur simpliciter חֶשֶׁן, sed cum addito המשט חֶשֶׁן Pectorale iudicii, ideo quod in eo erant Urim & Tummim, per quæ Pontifex Iudicium Dei abscondita revelare poterat. Judæi hac de re non consentiunt. AbenEsra in Comment. ad Exod. 28. 30. ait significare: רִיבֵי הַשֵּׁם וְגִזְרֹתָיו הַעֲתִידוֹת. *Judicia Dei & decreta ejus futura.* Rabbi Salomo Ben Melech in Michlol Jophi dicit ita vocari, לפי שהיו עליו האורים והתומים, *Quia in eo erant Urim & Tummim, quæ docebant, quomodo se gereret homo, cum interrogaret ea.* Quæ reliquorum sint sententiæ, cum allatae sint à Drusio loc. cit., nolumus hic easdem adducere. Tremellius verò & Junius forsan non incommodè verterunt *pectorale juris*, quia eo induebatur summus Sacerdos consulentibus Deum de jure responsurus. Nec certè rejicienda illorum opinio qui Enallagen, ut ita loquar, substantivi pro adjectivo esse volunt, ut scilicet posterius substantivum loco adjectivi sit, quod in sacris admodum usitatum multis exemplis ex utroque fœdere probat Glasius Phil. S. lib. 3. tractat. 1. cap. 8. m. 2. p. 34. seq. & ex eo Herv. Scrut. Philol. p. 6.

XVII.

Restat, ut quid fuerit, & quomodo confectum fuerit istud pectorale, disquiramus. Vestem Sacerdotalem fuisse notissimum est, nec est, qui ipsum negare audeat, cum expresse illius in scriptura fiat mentio. Fuere autem (ut de his ὡς ἐν παρόδῳ agamus) vestimenta Sacerdotalia duplicis generis, alia Sacerdoti vulgare Pontifice communia, alii Pontifici propria. Illa fuerunt quatuor, scilicet כתנור indusium, מכנסים femoralia, מצבעת Tiara & מבנט Baltheus. Hæc fuerunt quatuor sequentia. מעיל Palliolum, אפוד humerale, חֶשֶׁן Pectorale, & ציץ Cidaris sive corona: Vestrum autem Pontificis, alia vocabantur בגדי זהב seu aureæ, alia בגדי לבן seu albæ, quæ ex filo sex duplicato & lino tenuissimo solo confectæ erant, atque hinc

hinc etiam Pontifex מְרוֹבֵּה כְּנָרִים multis vestib⁹ amictus dicitur:
 Vid. Sigonius de Republ. Ebræor. l. 2. c. 81. Cunæus de Republ E-
 bræor. lib. 2, c. 1. Seldenus de Success. in Pontific. lib. 2. cap. 7. &
 Maimonides in Hilchot Kele Hammichdash. cap. 10. Fuit itaque
 vestis Sacerdotalis ex serico & auro confecta, spithamæ unius
 longitudinem & latitudinem habens, cujus talem ex Maimonide
 descriptionem habemus. *Quæ ratio erat ipsius operis Coschen:*
contexebatur vestis quædam מְעֵשָׂה חֶטֶב opere ingeniosô polymitô,
ex auro, Hyacinthino & coccineo dibapho, purpura & Byssô vigin-
ti octo siclis: longitudo erat cubitus, latitudo spithama, ita ut quadra-
tum esset & undiquaque spithamale, sicut dicitur: quadratum erit
& duplicatum. Exod. 28. Plura vid. apud Maimoniden. locô
citato.

XIIX.

Quartum denique & ultimum vocabulum est אֶפֶד seu hu-
 merale quod derivatur à radice אָפַר, quæ idem significat, ac
 חָגַר, ligare, constringere. Et hoc ipsum variè in sacris adhiberi
 solet. modo enim accipitur pro tenui illo, & è lino confecto ami-
 culo כֶּהֵן הַדְּרוֹת seu Sacerdotis vulgaris & levitæ, ut videre est ex
 I. Samuel, II. 18. ubi de Samuele è tribu levi oriundô & quidem ad-
 huc puero dicitur, quod fuerit amictus Ephod lineo, in signum, ut
 annotant Rabbi Levi Ben Gersom, David Kimchi & Aberbanel
 : *שֵׁם שְׁהוּא נִכְרַד לְעֶבְרֵי הַשֵּׁם* *Quod esset separatus ad mini-*
sterium Domini, כִּי יִהְיוּ לְבוּשֵׁים אוֹתוֹ כֹּל הַכֹּהֲנִים : *nam ve-*
stiti eo erant omnes in universum Sacerdotes. Deinde significat
 vestem sive longam, sive brevem, sive Regum, sive Sacerdotum,
 vid. Kimchi ad loc. cit. Samuel. sumitur etiam collectivè, ut com-
 prehendat, tum Amiculum, tum Urim & Tummim, ac pectorale,
 vid. I. Sam. XXXVI. 7. Propriè denique & specialiter accipitur
 pro veste summi Sacerdotis, h. e. amiculo superhumerali ex coc-
 cino, hyacintho & bysso contexto, cujus prolixam descriptionem
 vide apud Maimoniden loc. cit. & Joseph. lib. 3. Antiquit. Jud. c.
 8. conf. Rabbi Salomo, & Aberbanel ad Loc. cit. Exod. Atque hæc
 de evolutione nominum seu ὀνομαστικῆς sufficiant: nos brevi-
 tatis Studioſi ad alia progredimur.

C

CAP.

CAP. II.

*Autor τῶν Urim & Tummim qui fuerit. Eruditorum de eo
dissensus. Bechai, Nachmanidis, & aliorum sententia ἀπερὸν τῶν
statuentium sententia impugnata. Fuit משעורין seu opus manufa-
ctum. Tà Urim & Tummim quid fuerint. Autorum dissensus.
Rabbi Salomo Ben Melech citatus. Non fuit scriptura nominis tetra-
grammati. Cabbalistarum & aliorum opinio rejecta. Non fuerunt
Theraphim. Theraphim quid. Nec fuerunt ipsum Coschen seu pecto-
pectorale: Cur. Fuerunt duodecim gemma pectorali inserta. Ratio
hujus sententiae adducitur.*

I.

Rem itaque ipsam aggressuri de τῶν Urim & Tummim Effici-
ente, Forma, Materia, usu & duratione & his annexis paucis dif-
feremus.

II.

Quod primum concernit, quis præstantissimi hujus Insignis
Aharonitici autor fuerit, de eo, ut loquuntur Hebraei, in Thalmud:
Pefachim fol. 112. & Nidda fol. 66. n. 1. אן כל עצבות הכמים
שוות: *Non omnes eruditorum digiti sunt æquales. Multi inq; do-
ctissimi Viri tam ex Rabbinis, quam Christianis מעשה שמים &
ἀπερὸν τῶν τὴν dicunt, Deumq; ipsum hujus Insignis Authorem
faciunt. Ita enim Aberbanel Commentar. in Legem fol. 199.
ולמות כחשן האורים והתומים מעשה שמים ולא מעשה
חרש לכן לא נזכרה בהם לשון עשירה כשאר הכלים והבגים
ונזכרו בהם הידועים למעלתם וכמותו וישכן מקדם לגן
עדן את הכרובים ולא נזכרו הכרובים קדם לכן וכמו
: שכתב הרמבן h. e. Quia in pectorali erant Urim & Tummim
opus divinum, non artificis, ut reliqua vasa & vestimenta, non dicun-
tur facta esse, & ad indicandam excellentiam illorum demonstrati-
vum occurrit, sicut Gen III 24. in הכרובים & nulla ejus ante facta
est mentio, uti Ramban scripsit: Verba Ramban, ad quæ provocat
Aberbanel, ut ut satis prolixa, hic tamen afferre non gravabimur.
Nulla omnino fit mentio τῶν Urim & Tummim inter opera Artificum,
& qui-*

Et quidem neque in mandato, neque in ejus executione, ut expressè dicitur. Et fecit Ephod, & fecit Choschen, sed non dicitur, & fecit Urim & Tummim: quod si opus artificis fuisset, sine dubio prolixius de illis, quàm de ullo alio differuisset, aut si brevius de illis loqui voluisset, dixisset saltem. Et facies Urim & Tummim, sicut ostensum tibi est in monte, ex auro puro & argento facies ea. Et postea. Nunquam alius, facit, quam Moysi solius mentionem, in præcepto, quando dicit, Et indes, in pectorale Urim & Tummim, quare, quia fuerunt opus Artificis, neque opifices ad illarum confectiorem neque Ecclesia quicquam de suo contulit, sed fuit secretum, quod traditum fuit Moysi ex ore ipsius Dei, & ille scripsit ea cum summa sanctitate, fueruntque opus divinum. Hactenus Ramban; consentit R. Bechai in Comment. ad Loc: cit: Exod. cujus verba eadem ferè cum his, allegata vid. à Claris. Hotting. Exercit. AntiMor. p. 88. conf. Arias Montanus in Aharone, Junius in Not. Margin. ad Exod. loc. cit., Piscator ad eund. loc. Simlerus ad eund. loc. Calvin. ad Exod. XXXIII. 3. Baumbach, in tractat. de Urim & Tummim: Hebr. Alting. Th. Problemat. Loc. i. probl. 6. Hotting. loc. cit., qui ibidem ex Græcis Severum pro sua sententia adducit.

III.

Nos autem pace tantorum virorum, & salvâ eorundem auctoritate alteram sententiam potiore statuimus, quâ asseritur, infigne hoc opus Bezaleelis fuisse. Fatemur equidem Deum jusfisse Moysen, ut inderet pectorali Urim & Tummim, exinde tamen non sequitur, Deum ipsum gemas istas, quas *Urim & Tummim* fuisse inferius patebit, perfecisse, has enim à Bezaleele elaboratas esse nemo facile negaverit, cum expressè in scriptura dicatur Exod. XXXI. 2. Bezaleelem impletum fuisse Spiritu Dei ad faciendum opus in auro & argento & sculpendis lapidibus, & quodvis, (notanter quodvis) opus ingeniosissimum fecisse asseratur. Hinc ita Aberbanel ad Exod. XXXV. 30. scribit:

נתחבצו בכזאלאל חכמה
 עיונית וחכמה מעשית ודיערת אומנותי מתחלפים

In Bezaleele fuerunt speculativa & practica scientia, variorum item opificiorum peritia. Nec est, quod dicant nonnulli, priorem sen-

tentiam ex eo stabiliri, quod in loc. cit. Exodi, ubi hæc describuntur, non adhibeatur vox ועשירי *Et facies* (ut in reliquis,) sed ונתת *& indes*, nam si modo inspiciatur versus viges. sext. ejusdem capituli, apparebit, eandem vocem adhiberi de annulis aureis, qui in extremitate תשן השן seu pectoralis poni debebant, hos autem ab ipso Deo, non à Bezaleele confectos esse, quæmpiam invitâ & reluctante veritate Hebraicâ asserturum, ut credamus, adduci non possumus. Hæc de efficiente.

IV.

Quid fuerint תא Urim & Tummim, dicturi, Cimmerici & plusquam Ægyptiaci involvimur tenebris, quid optimum factu sit, omnino nescii: Bene Philologorum haud ultimus in Elect. cap. V. pag. 35. *Major, inquit, in horum vocabulorum explicatione convenientia non est, quàm inter Horologia; imò verè huc quadrat.* Scitum illud Ebraeorum הנה כל המפרשים נבכו בזה ופירשו בן פרושום שונים אין חמור נושא ספריהם *h. e. Omnes interpretes hic perplexi sunt, & tam varias afferunt explicationes, ut Asinus non possit ferre libros illorum.* Omnes ferè sententias scire cui volupe, consulat Cornel. à Lapide: in Comment. ad Ex. XXVIII. 30. Ravanell: Biblioth. S. in voce Urim. Martin. in Lexico: in voce eadem: Edon. Neuhuf. Fatid, S. lib. I. p. 19. seq. nos potiorum adductione contenti erimus.

V.

Nonnulli τὸ ἐπέχειν eligere malunt, & tanquam rem absconditam & occultam non inquirendam esse statuunt, rati tacente. Scripturâ sibi quoq; tacendum, nam nescire velle, quæ Magister scripturæ docere non vult, erudita est inscitia. Huic sententiæ foveat Rabbi Salomo Bea Melech in Michlol Jophi. לא נתברר אצלנו מזה הם האורים והתומים כי ידמה לבי הפסוקים שהם דבר אחר וילתו אבני החשן ורשן פירש שהיה כתב שם המפורש שהיה נותנו בתוך כפלי החשן ולתת *Non liquet nobis, quid Urim & Tummim fuerint; Ex Scriptura autè mihi verisimile videtur fuisse aliud quid, quàm Lapidis pectoralis, & Raschi dicit fuisse Scripturâ nominis mirabiliter expositi inditi duplo pectoralis. Verum non constat, an hoc verum sit.* Consentiant

tiunt Rabbi David Kimchi, & Abraham Zeba in Zeror Hammor,
quorum verba citata vid. apud Buxtorf. Exercit. cit. p. 288. conf.
Castellus in Lex. Heptaglotr. Schich. de jure Regio: p. m. 18. Mar-
tin. in Lexic. in voce Urim: Valæus in Loc. Comm. & ipse etiam
Buxtorfius post recitatas aliorum opiniones, *difficile est, ait defini-
re, quod scriptura procul dubio non sine certo consilio reticuit, suffecerit
scire, fuisse quedam symbola extraordinaria.*

VI.

Altera sententia est illorum, qui existimant, fuisse *urim & Tummim*, scripturam nominis mirabiliter expositi & ineffabilis, quod *שם המפורש* illi vocant. (vid. de eo Reuchlinus de Cabala: Petrus Galatin. de Arcan. Cathol. Verit. & Buxtorf. in Lex. Ebr. in voce *היה*) vel insculptam vel inscriptam ab ipso Deo lapidibus, vel à Mose mediante divinâ revelatione factam aut excogitatam, & duplicationi pectoralis insertam. Quale autem fuerit istud Nomen, non consentiunt de eo inter se istius sententiæ Patroni. Autor libri Zohar ait, fuisse nomen quadraginta duarum & septuaginta duarum literarum. vid. Buxtorf. Exercit. cit. & hunc sequitur Baal Hatturim. Alii tetragrammaton fuisse existimant: ita Cabbalistæ, quorum sententiam refert Abarbanel ad Loc. cit. Exod. nec non Rabbi Salomo, Bechai, Isaac Arama & alii. Verùm cum hæc sententia è sordidis lacunis sit hausta, & meras fabulas, & plusquam aniles nugas contineat, & prætereâ nullò Scripturæ fundamentò nitatur, improbanda omninò est, & rejicienda. Excipiunt quidem, ex eo, quod cum omnium vestimentorum & yassum confectio in Scripturâ describatur, horum autem nulla fiat mentio, sequi omninò, quod fuerit divinum quid, & per consequens nomen Dei inscriptum. Verùm, quàm infirmò hoc ipsum tibicine nitatur, antea demonstravimus, imò hoc ipsum pro nobis urget Nobiliss. Constant. L' Empereur, in Not. ad *Odoisrogliu* R. Moïsis, Kimchi. *Si quis, inquit, quid Urim & Tummim fuerit, non omninò mihi falli videntur ii, qui à gemmis pectorali inditis ista non distinguunt, quandoquidem Artificibus non seorsim suere commissa faciendæ.*

VII.

Tertia est eorum, qui putant, *Urim & Tummim* fuisse *Teraphim* s. imagines, quarum in scriptura fit mentio. De *Teraphim*, hic prolixius agere, nostri non est instituti: Paucis ut tangamus, Ita describuntur in Pircke Rabbi Eliezer. Edit. Vorst. p. 9. Quid fuerunt *Teraphim*? *Mactabant primogenitum hominis, & ejus caput diffindebant, & sale atq; oleo condiebant, & inscribebant lamina aurea nomen immundi spiritus, istudq; sub lingua ejus reponebant, & collocabant illud in pariete, & accendebant coram eo lucernas, & supplicabantur illi, & loquebatur cum iis.* Idem habet Elias in Tisbi, cit. Athan. Kircher. in Oedip. Ægypt. Tom. I. Syntagm. 4. pag. 258. vid. Mercerus ad Lex. Pagnin. in voce $\eta\eta\eta$. Lutherus in cap. 30. Gen. Abulensis ad eund. loc. Vatablus ad eund. loc. Rivetus ad eund. loc. Seldenus de Diis Syris, Syntagm. I. c. 2. p. m. 97. seq. Cornel. à Lapide in cap. 30. Gen. & cap. 18. Judic. Hotting. in Histor. Orient. lib. 1. c. 8. Heidegger. in Histor. Patriarch. Tom. 2. Exercit. I. §. 37. Gafarellus in Curiositat. p. 65. & Michaelis in Not. ad eundem, qui etiam ibidem imaginem $\tau\omega\upsilon$ *Teraphim* exhibet. Atque huic sententiæ favit olim Christophorus à Castro lib. 3. de Vera fut. cognit. c. 3. refutatus à Riveto Tom. 2. Op. Theolog. fol. 1145. Et nuper Spencerus in disert. citat. qui hanc ipsam sententiam multis rationibus probat: Sed quam monstrosa sit ista opinio, luce meridianâ clarius, nam ex identitate, vel, quod certè rectius, affinitate significationis ad identitatem rei non valet consequentia, nam simulabant tantum, ut ait Seldenus loco proxime citato, $\tau\omega\upsilon$ *Teraphim* sanctitatem $\tau\omega\upsilon$ *Urim & Tummim*: Sed de his & aliis Spenceri vid. Clar. Carpzov. in Notis ad Schichard. jus Regium pag. 44. seq.

IIX.

Nec prætereunda illorum sententia, qui $\tau\omega\upsilon$ *Urim & Tummim* ipsum $\tau\psi\eta$, s. pectorale fuisse arbitrantur: sed erroneam esse & planè falsam hanc sententiam, nemo non videt, cum expressè verba summi Legislatoris habeant: Et *indes pectorali Urim & Tummim*. Et certè $\delta\iota\varsigma$ $\Delta\epsilon\upsilon\varsigma$ $\pi\alpha\tau\epsilon\upsilon\omega$ distant, & inter se pugnant res, quæ inseritur, & id, cui inseritur, nec credendum, Deum tanquam $\tau\omega\upsilon$ $\xi\epsilon\omega\varsigma$

Ξεως & ordinis authorem *ad vasa* Mosi præcepisse: eadem itaque facilitate, quæ asseritur, destruitur hæc opinio.

IX.

Misis itaque his omnibus, eorum legimus vestigia, qui ipsas duodecim gemmas pectoralis duplo inditas esse *Urim & Tummim* statuunt. Et hujus sunt sententiæ R. Azarias in Meor Enayim, Brentius in cap. 28. Exod. Fagius in Paraph Chaldaic. ad idem caput. Oleaster in eund. Loc. aliiq; quamplurimi, qui easdem *Urim* dici volunt ob splendorem s. fulgorem, & *Tummim* ob perfectionem eandemq; summam, nam non dubium, quin gemmæ tot invicem conjunctæ, & unam quasi repræsentantes valdè fullerint, & insignem à se splendorem lucis adinstar projecerint, quippe vis unita fortior, & quin perfectæ fuerint & integræ, nullòq; vitio vel maculâ notatæ: & certè si usum spectemus, ita eas appellare non absurdum foret, eò quod Pontifex pectorali, cui inditæ erant, indutus, lucidam & perfectam, h. e. claram & apertam, certam & veram, non ambiguam, qualem Oracula gentilium, dare respon- sionem potuerit. Et hanc sententiam veram esse, probatur ex si- lentio Scripturæ; quippe quæ non meminit alterius rei, quæ nomine isto gauderet, nam cum Moses in omnibus recensendis, quæ ad sacra vasa & vestimenta pertinebant, accuratissimus sit, & ne minutissima quidem prætermittat, non credibile est, ipsum illud reticuisse, si *Urim & Tummim* diversum quid ab istis gemmis fuis- sent, imò exactiorem certè, si id fuisset, scriptura hujus Insignis de- clarationem & descriptionem dedisset, nunc autem ne verbò qui- dem de eo agi, textum inspicienti manifestum est. Nec est, quod quenquam moveat dictum Levit. VIII. vers. 8. *Et apposuit illi pe- ctorale juris, indiditq; pectorali Urim & Tummim*, nam hic saltem narratur, quomodo Moses Aharonem vestitu illo sacrò ornavit. Benè B. Qvistorpius in Comment. ad eund. loc. *Nihil, inquit, ibi aliud agitur, quam quod primum sacerdos hoc sub ornatu in- ducitur, qui scribitur, ut est factum.* Hæc de forma.

Reliqua Disputationi sequenti
reservamus.

תהלה לאל ותברך :


Egre-

EGregium conaris opus, feliciter, opto,
Cedat, & ex votis, sunt mea vota, tuis.

De properab.

ANDR. SENNERTUS, P. P.

Academ. Sen.



Ad

Clarissimum Dn. M. Disputantem,

Amicum plurimum colendum :

A*Rdua, quæ tractas, ostendunt mentis acu-*
men,

Ac benè ditatas pectoris acris opes.

Hinc redeunt fructus Patriæ, Patriq₃ verendo,

Lætâq₃ gaudendi surgit utriq₃ seges.

Me quoq₃, qui viridi cinxi tua tempora lauru,

Proventus studii tangit, Amice, tui.


Gratulor hinc Musis, Patriæ, Patriq₃, tibiq₃.


Nemo etenim hic operam perdidit ac oleum.

f.

CHRISTIANUS Köhrenssee

P. P.














im nonnulli existimant pe-
solam obedientiam paren-
Piscator edit. Herborn.
maces esse capitis supplicio
ea de causa ab aliis refutatur.
s autem minimè inficiemur,
equium parentibus denegaf-
tantum obruebatur lapidi-
causæ gravissimæ, ob quas
jure meritoque infligebatur.
bona de Synedriocap. 8. §. 2.
fol. 189. pag. 2. 6 edit.
Amstel. fol. 137. pag. 2. in 8.
nederit carnes in constitu-
pore tantum pane & legu-
vod comederit decimas fe-
od comederit morticina &
na, res abominabiles & re-
nondum decimatas, & de-
uferretur Teruma (sive pars
danda sacerdotibus, prius-
ur pro Levitis) & decimas
um redemptas; quod come-
g. comederit in jejuniis pu-
itur, quod hic filius rebellis
haberet quod devoraret ex-
ia explicantur in *Commen-*
B 3 ta-

